



DE
DELIRIO TREMENTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR

LOCO CONSUETO

PUBLICICE DEFENDET,

AUCTOR

*CONRADUS RUDOLPHUS RADECK
DE RADECKI*

RIGENSIS.

.....
DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. G. SCHÜNMANNI

MDCCCXXXIII.



I m p r i m a t u r,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum
censura est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xiv. Mart.

MDCCCXXXIII.

Fr. Parrot, h. t. Decanus.

D 17722

Praemonenda.

Dissertationis nostrae thema quodpiam delecturis observandum nobis obtigit delirii tremantis in nosocomio Acad. Caesareae Dorpatensis tractati perfectissimum exemplum, quod ipsum pertractandum sumere nobis visum est, spem foventibus, ut isto ulterius divulgato fructum inde capiant artis medicae cultores. At habemus sane, quod doleamus, defuisse, quo minus accuratius hoc de morbo ejusque indole disserere liceret, occasionem observationes nostro ipsorum studio colligendi. Quo factum est, ut solis iis, quae alii

medici de morbo isto tractantes, in expertis habebant, nobis esset utendum. Ex incommoda conditione, in qua cum hocce componeremus opusculum versabamur, vitia graviora a nobismet ipsis valde vituperanda originem duxere, quibus indulturum esse lectorem peritum confidenter spero. Et primo quidem haec dissertatio nostra fere non constat, nisi compilatis et coagmentatis aliorum expertis, eo, quod nobismet ipsis experientia edoceri non contigisset. Deinde, neque immerito, incusandos nos esse dixeris non commemoratorum observationum circa delirium tremens nuperrime vulgatarum. Sed facile excusatos tum nos habebis, cum memineris, degere nos in tali oppidulo, quod ab omni fere literarum commercio remotum lateat, et quo artis nostrae recentissima scripta nimis sero perfectantur. Fuerint etiam, qui eo reprehendendos nos esse autument, quod pura in medium protulerimus experta, disquisitionibus theoreticis fere omnino neglectis. Sed ad theorias construendas ipsi arti profuturas (quae nostro quidem arbitratu, non nisi diutinae multorumque annorum experientiae potuerint deberi!) idoneis omnino

non fuerit tiro medicus studio academico vixdum relicto; praxi medica nondum satis imbutus! Praeterea verebatur, ne mutatis solummodo verbis, aut notissima repeterentur ac veluti ruminarentur, aut nova quidem proferrentur, sed quae non satis circumspectae essent indaginis, ex scriptis aliorum hausta, nec diutius eruditorum memoriae immoratura, quam ipsa lectione finita. Attamen consilium in hoc qualicunque opusculo exarando nobis propositum tum dixeris nos esse consecutos, tum, quae in complurium auctorum de delirio tremente disserentium scriptis sparsa ac disjecta leguntur, collecta repereris:

Morbi, quem describendum atque examinandum sumsimus, magis germana imago magisque recta atque expedita tractatio medicorum seculi nostri et Anglorum potissimum meritis debetur. Reperiuntur quidem in veterum scriptorum operibus obscura quaedam vestigia, unde suspicari quodammodo licet, hujus morborum generis illos haud omnino fuisse ignaros, ut in morbis popularibus ab Hippocrate commemorata

tis, ubi exemplum octavum libri primi, et quintum tertii haud absimile videtur isti morbo, nisi quod in priori tremor manuum, morbi insignis desit, et praeter hunc, ipse sudor in posteriori. Proinde delirium etiam ex ebriositate obortum creberrime commemoratum repereris, sed hujus formae et diagnosin et medendi methodum a ceteris delirii generibus nunquam rite distinctas: hinc parum praesidii ad dignoscendum et tractandum istum morbum, haud ita quidem raram, e cunctis superiorum scriptis licuerit hauriri.

Samuel Burton Pearson, Med. D. Anno 1801 in succincto tractatu hac de re primus disputavit; Anno 1812 Jo. Armstrong. Deinde prodibat: *Treatise on delirium tremens etc.* by Thomas Sutton. Londini 1813. quod Suttonii opusculum A. 1820 germanice redditum doctissima praestantissimaque praefatione edidit Cel. S. A. Albers. M. D. — In operis sui de febre typhoso tractantis peculiari sectione de eadem re disserit Cel. Armstrong. Denique inter Gallos comparuit: *Mémoire sur la délire*

rem. par Pierre Rayer, à Paris 1819. *Magis succinctae dissertationes et historiae morbi his reperiuntur in operibus: in ephemeridibus Londinensibus* (Medical and Physical Journal 1819. Februar.) et in dissertatione quidem, inscripta: A memoir on tremulant diseases, by Joseph Klapp; — Pariter in *Edinburgensibus* (Edinburgh Medical and Surgical Journal, 1813. IX. p. 326.) Pearsonii „Observation on brain fever“ — Bidwell a case of delirium tremens: The London medical Repository, monthly Journal and Review. 1815. Vol. IV. pag. 363. — Clifton: a case of Delirium tremens: The London medical Repository 1816. Vol. V. pag. 180. — Channing Mæd. D. Bostoniensis, inseruit *Ephemeridibus Medico-Chirurgicis* (New-England Journal of Medicin and Surgery etc. Bostonii 1819. Vol. VIII, No. 1. pag. 15.) dissertationem de delirio tremente, — Ein Fall von delir. trem. beobachtet von Dr. Behr in Bernburg. In Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde. September 1820. — Ein von Dr. Eichelberg beobachteter Fall. — Hufeland. Journal. September 1821. — Delir. tremens mit ei-

nem Nervenfieber verbunden, beobachtet von Dr. J. C. Tendering in Crefeld. J. d. Zeitschrift für psychische Aerzte von Nasse. 1821. Erstes Heft. — Delirium tremens von Dr. Heincken, in Hufeland's Journal. 1822. April.

§. 1.

Delirium tremens (quod nomen Suttanjo debetur auctori), **Oenomania** a Rayero, **Phrenesia Potatorum**, ab Albersio, **febris nervosa Potatorum** ab Hufelandio dictum, cerebri morbus est, qui in mentis perturbatione, delirii paroxismis, inquietudine et insomniis, tremore manuum, profusis sudoribus superiorum imprimis partium corporis, exili celerique pulsu cernitur, stadium suum plerumque intra tres ad decem dies emetiens, ex ebriositate oriundus.

§. 2.

Hujus morbi imago, in universum ab omnibus medicis, qui in eo describendo sunt versati,

fere pari modo est delineata, nisi quod dissentiant in minutis. Quum complurium nobilissimorum observatorum experta adire, conferre, compingere et coagmentare nobis contingeret, pleniorum hujus mali diagnosin liceat exhibere, Quae quidem tum ex morbi phaenomenis, tum ex illius decursu causisque occasionalibus fuerit depromenda. Omnis mali decursus in complura stadia descriptio prodesse praxi medicae, nobis quidem videtur, ob status irritationis in singulis animadvertendae conditionem diversam, quam ipsam ob rem diversa proinde esse debet curatio morbi. Stadia ista sunt: 1) Prodromorum; 2) morbi dudum exorti; 3) stad. incrementi; 4) stad. criseos; 5) stad. convalescentiae. — Qua de causa decrescen-
 tiae stadium subaddere nobis quidem opus non esse videatur, infra docendi locus erit,

Morbi delineatio.

§. 3.

1) Stadium prodromorum non semper quidem, plerumque tamen, licet animadverti. — Rayero

auctore subitaneus est morbi exortus. Jam pluribus ante malum ipsum oriundum, diebus peculiari angore et sollicitudine vexati aegri, unde haud raro adpropinquans malum sibi ipsi augurantur. Attamen propinquis ex hoc ipso prodromo saepius malum erupturum esse praesagientibus, tristem in qua versantur conditionem celare student. Ad malam istam universi corporis valetudinem mox accedunt ciborum fastidium, aegritudo, capitis dolores, scrobiculi cordis sensus molestus, rarius et vomitus; inertiam sentit aegrotus et languorem; somno non recreatur. Pulsus concitatus quidem non est, sed, Suttonio monente, nervosae nec sibi constantis vacillationis. Animi functiones nondum insigniter sunt turbatae, at observari jamjam licet, praecipitem fluxum idearum, creberrimasque animi ex re alia ad aliam subitaneos saltus, quae ejus agilitas concitata in dies augetur. Nonnunquam hi prodromi post aliquot dies rursus discedere atque disparere perhibentur²⁾,

2) Vid. Sutton, l. c. p. 8.

Secundum et tertium morbi stadium, ut in quibus phaenomena morbosa fere solo gradu et vi sint diversa, simul describere licebit. Subito nonnunquam ingruit haecce periodus, nullis omnino antecedentibus prodromis. Singulare gravissimumque phaenomenon, quod occurrere solet medico observatori, est functionum animi mirata perturbatio. Fere omnes in eo concinunt auctores, mentis istam perturbationem non quidem cerni in idearum sublimioris notae, ex valde intensae imaginationis vi oriundarum abundantia, sed in eo potius, quod mens aegroti recti iudicii ipsiusque memoriae experta, non nisi in consueto quotidianoque vitae campo versetur ac pervagetur. — In medium proferre nobis liceat Sutto-
nii ipsa verba ex tractatus illius supra laudati Germanico exemplo de prompta. En illa: „Rückt das Uebel weiter vorwärts, so giebt sich die Verwirrung der Seelenkräfte im Allgemeinen nicht durch abschweifende Gedanken zu erkennen, sondern vielmehr durch ermüdende, oft wiederholte Unterhaltungen über ganz gewöhnliche Angelegen-

heiten und durch abgebrochene Reden, welche durch Gedächtnislosigkeit und Verstandesverwirrung erzeugt werden. Noch später zeigt den Kranke eine große Aengstlichkeit in Hinsicht auf seine Geschäfte; will an seine Arbeit, und bemüht sich aufs eifrigste die los zu werden, welche ihn bewachen, in der Absicht, das auszuführen, was seinen Geist am meisten beschäftigt. Seine, gegen die Umgebungen gerichteten Bemühungen sind, wenn gleich heftig, dennoch nicht böseartig, noch bemerkt der Kranke die Zwangsmittel mit einem Anscheine von Vertrauf und Unwillen. Er scheint das Ebenvorhergegangene zu vergessen, und nur durch die tiefen Eindrücke auf sein Gemüth in Betreff der eben angeführten Gegenstände zur Thätigkeit aufgefordert zu werden. In jeder andern Hinsicht ist er zu leiten und weigert sich auch selten, Arzneien einzunehmen. Er verliert jetzt das Gefühl für Schmerz und klagt nicht über körperliche Leiden, obgleich er, selbst bei einem beträchtlich hohen Grade des Delirium, seine, ihn umgebende Freunde und Familie kennt.“

• Potissimum in consuetis quotidianisque occu-

pationibus versari ejusmodi aegrotorum animos, in iisque maxime cerni illorum vesaniam, fere omnium, quae unquam nobis innotuerint, exper-
 torum singula docent exempla. — Aut enim vio-
 lenter intentisque viribus de negotiis suis obeun-
 dis laborant, verentes ne haec negligantur, aut
 in ipsis suis negotiis persequendis videntur sibi
 nunc ipsum versari. Hinc illos fere semper in
 eo, haud raro pertinaciter, elaborare videas, ut
 lecto et conclavi relictis, sibimet ipsi vindicent
 libertatem agendi. — Hi, quos postremo loco
 commemoravimus ²⁾, versantur in computandis
 rationibus, in aedificando, in capiendis perse-
 quendisque quibuscunque consiliis, in numeran-
 dis colligendisque pecuniis, in absolvendis ratio-
 nibus, aut in aliis ejusmodi rebus erroneae menti
 observantibus, quos si alloqui velis, aut intur-
 bati continuabunt ista sua negotia, aut se inter-
 pellandos, aut turbandos esse negabunt. Non-
 nunquam et terriculamenta obversantur istorum
 animis: hinc id agunt, ut obluctentur, quibus-
 cunque obnoxii sibi videantur, periculis eaque

2) Vid. Armstrong über das Typhusfieber, p. 484:

effugiant. Cel. Behr³⁾ Med. D. Bernburgensis, mentionem facit aegroti, cui, circulus filorum aurichalci ex quocunque conclavis angulo, sibi obvolvi videbatur, quem, maxime se angentem, aut captare, aut a se avertere semper adlaboraverit. Cel. Albers⁴⁾ observabat in ejusmodi aegrotis crebertime hasce quatuor inprimis persuasiones: 1) aut timoris, ne quacunq̄ue ex causa comprehensi in custodiam ducantur; aut 2) ob-eunda esse sua negotia; aut 3) angī se animi, quod versentur in alieno domicilio, vel incendium eruperit in aedibus suis; aut 4) habere se, quod metuant ac reformident varii generis bestiolas, ut mures, glires, rattos, muscas etc. Sed alia etiam horum miserorum erroneis animis nonnunquam obversantur phantasmata. Exemplo sit aegrotus ille nuperrime in nosocomio acadēmiaē Caesarē Dorpatensi medicorum curae traditus, de quo fusi-
us disserendi infra locus dabitur, qui militares homines portentosae formae habitusque mirifici,

3) Hufelandii Ephemerid. (Journal) Mens. Sept. 1820.

4) Vid. Prooemium ejus Suttonii opusculo de delir. tram. praefixum.

vario positu comico se moventes videre sese, canentes alios, inter latratus a canibus editos, et propin quarum aquarum fremitus strepitusque se audire, habebat persuasum. Semper autem eminebat negotiorum suorum obeundorum cura in istius animo.

Quantumvis saepe vehementer vigeant conatus nisusque hujusmodi aegrotorum, lenitate tamen et humanitate flecti sese regique, facile patiuntur. Quibus e contrario in rebus sive psychiceis, sive physicis si pertinaciter resisteris, ad excandescentiam facillime provocantur. Propinquos tum et amicos, tametsi bene dignoscere eos soleant, maledictis saepe lacesunt et conviciis.

§. 5.

Ad corporis conditionem quod attinet, primo tremor manuum magis minusve viget, et Suttonio quidem compluribusque aliis scriptoribus, constans fidusque hujus mali comes; — qua quidem in re dissentit Cel. Armstrong, eo, quod in tribus aegrotis a se curatis tremor iste utique desuisset. At non nisi de eo, quod rarissimum est, ergo de exceptionibus tum fuerit cogitandum.

Hoc cum tremore manuum perpetua (musculorum) flexorum contractio et protuberatio in radice manus est in connubio. Rarius insuper accedunt subsultus tendinum et singultus. Qua flexorum contractione, juncta cum tremore, introrsum manus torquentur, et haud raro tantopere quidem, ut pulsus non nisi obscure aegreque percipi liceat. Hinc debiliior plerumque et exilior videtur, quam pro ipsa vi pulsandi; nec nisi proxime vel ante, vel post ingruentem somnum cum tranquillior factus est flexorum labor, rite observari pulsus licet, quem tum haud raro durum adhuc satisque vigentem deprehenderis.

Proinde semper, maxime capitis superiorumque corporis partium sudorem profusum, frigidum, saepe viscosum maleque olentem levioribusque motibus insigniter auctum licet animadverti. Aquam de ejusmodi aegri capite violenter manare, recte dixeris ⁵⁾. Cutistemperies plerumque humilis est, rarius, vasorum systemate excitato atque in statu synochali, calor in superficie auctus. At Cel. Armstrong adserit, in ipsis se-

5) Vid. Albersii prooemium. pag. 13.

nibus iisdemque enervatis potatoribus saepe animadverti cutis, quantumvis inaequaliter diffusum, calorem. Lingua plerumque mader, albo flavove lentose obducta. Tractus intestinorum conditio non sibi constat in singulis (aegrotis), quantumvis quidpiam torporis deprehendatur in omnibus functionibus. Morbo vigente alvi profluvium rarum, Rayero teste, frequentior obstructio. Ciborum adpetentia sitique saepe quidem, neutiquam vero semper vacant aegrotantes. Accidit interdum, ut vel cerevisiam adpetant ipsumque vinum adustum 6). Concitatus minutusque pulsus, ab initio morbi fere naturalis frequentiae.

In rarioribus morbi symptomatibus numerandae sunt convulsiones, epilepticis similes, sicut tum in aegroto Cel. Eichelbergii, M. D. curae tradito, tum in alio in nosocomio academiae Caes. Dorpatensis decumbente, nec tamen nisi ab initio istis vexato. Haud minus Cel. Müller, M. D. Lemsaensis id symptomatis cum delirio tremente animadvertit idem conjunctum. Verum enim vero

6) Vid. Eichelberg in Hufelandii Ephemerid. Mens. Septemb. 1821 etc. — Behr ibid. Mens. Septemb. 1820.

habeo equidem, quod dubitem, an vera tum adfuerit epilepsia, quippe quae ex ebriositate oboriri soleat eadem, et an, praevalente morbo nostro, modo impedita fuerit, quo minus perfectam suam indueret indolem?

Insignis conditionis sunt vultus et oculi. In vultu legitur angoris, ferocitatis obtusique ingenii quaedam quasi colluvies, omninoque variis morbi gradibus, praevalentibus mentis occupationibus peculiarique animi genio omnino respondet vultus externus. Inprimis oculi saepe prominentes modo majorem inquietudinem, modo stupiditatem quandam ac torporem exprimunt. Pupilla saepe est contracta; vasa tunicae conjunctivae sanguine raro insigniter sunt oppleta; tunica conjunctiva ipsa interdum sordidi est coloris; aliquanto auctior lacrymarum secretio.

Juxta haec omnia, quibus conspicuus hic morbus est, signa, denique, in vehementiori illius gradu, perpetua obtinet insomnia. Noctu, perinde atque interdiu imaginationis erroneae imagines, spectrorum instar, persequuntur aegrotos, noctu saepe saevius delirantes, perpetuae

saltē inquieti obnoxios, ut qui tum etiā con-
clavi suo discedere tentent, id quod omnis ipso-
rum laboris palmarius finis esse solet. Quin vel
non loquentium animus vexatur impressionibus
ideisque molestis.

§. 6.

Sicut in cerebro omnique systemate nervo-
rum, minus quidem in vasorum systemate ab ini-
tio morbi, istoque ipso vigente, activitatis conci-
tatio augebatur, ad erethismi altiorem gradum
istorum conditione evecta, ita tandem nimiam
intensionem, uti omnino fieri solet, fractarum vi-
rium sensus sequitur, morbo quidem ant ad mor-
tem, aut ad crisin appropinquante; ita tamen, ut
oppressio subsequens cum priorum symptomatum
vehementia semper pari passu ambulet. Pulsus 7)
tum magis magisque celer minutusque, cutis
frigidior, obscuri et imperspicui fiunt
aegrotantis sermones; subsequuntur submisso mur-
murantis delirium, vel furoris, melancholiae et
torporis subitanei brevesque paroxysmi, forte et

7) Vid. Armstrong. de Typho etc. pag. 494.

foccarum venatio; subsultus tendinum manuumque tremor augeat, glutitione impedita et vim musculorum omnino oppressa, ita, ut idem aegrotus, viribus ac dexteritati complurium hominum paullo ante obnixus, jam ab uno domari possit sine ullo negotio. In summo mali vigore et gradu, Suttonio teste ⁸⁾, et voluntati non subjecta est alvi excretio.

Jam aut augeſcente torpore, mors inſequitur, aegrotò in veri nominis coma incidente, vel apoplexia adfecto, praeviis nonnunquam spasmis vehementissimis ⁹⁾; — (convalescere intra tres decemve dies coepit, nonnunquam maturius etiam subitoque!) aut adaperitur.

4) Stadium criseos. Sensim rarissime decreſcit morbus, hinc stadium decrementi utique admitti non posse nobis quidem videtur. Serius maturiusve somnus criticus inſequitur, sive ipsa exhaustione virium, sive artis ope ad ductus, convalescentiam mirum in modum adjuvans. Non

8) l. c. p. 11.

9) Vid. Albers, praefatio. pag. 15 et Armstrong. p. 492.

semper somni unius beneficio melior aegrotantis subitanea conditio advehitur, saepe enim ad removendum malum, duplum aut triplum consueti somni tempus requiritur. Quo obfusos quum aliquoties expergisci aegrotus solet, jam prima vice experrectus persentiscit insignia reversae sanitatis vestigia. Virium exhaustio tum major fuisse videtur, quam ut consuetum somni tempus ad restituendum virium aequilibrium sufficeret naturae. Semel tantummodo accidit, et aegroti quidem Cel. Eichelbergii, M. D. curae tradito, ut melior aegrotantis conditio non subito, sed sensim sensimque, nec somno critico praevio, adduceretur. — Ex hoc igitur somno illico proneque

5) in ipsius convalescentiae stadium transeunt aegroti. Animi functionibus ad normam suam tuendam reversis, saniori mente expergiscuntur e somno, saepe magnopere attoniti, versari sese in alieno loco, quippe qui, ad sanitatem reversi, conditionis, cui obnoxii fuerant, morboae, aut idearum, in quibus maxime versabantur, fere nunquam meminerint ¹⁰⁾. Cessat tum

10) Vid. Sutton. p. 56. et Rayer s. l.

stator ille profusus, tum tendinum subulans, pal-
sus, jam inter dormiendum magis lentus, et vi-
vidior factus, revertitur ad naturae normam; nec
remanet, nisi exiguus tremor manuum, primis
quidem convalescentiae momentis.

§. 7.

Quam modo exhibuimus delirii tremantis de-
scriptionem de acuta morbi forma accipias. Non-
nunquam et chronicum illius decursum observari
licet, qualis saepius occurrit Cel. Suttonio. Cel.
Armstrong etiam morbi per sesquimensem duran-
tis exempla commemoravit, et in nosocomio acad.
Caes. Dorp. Anno 1820 pariter curatus quidam æ-
grotus est, qui diutissime jamjam laboraverat hoc-
ce morbo. Eiusmodi miseri cognoscuntur ex in-
genii memoriaeque debilitate, ex peculiari vultu,
insignique faciei conditione, ex titubante incessu
manuumque tremore, minus tamen, quam in acu-
ta forma conspicuo. Cel. Rayerus monet, a me-
dicis Franco-Gallicis acutam formam solummodo
esse observatam. Si quis a delirio tremante eo-
demque acuto, creberrime fuit infestatus (sicut
ægrotus ille Cel. Eichelbergii, M. D. curae cont-

missus fere decies per annum inde vexatus!) tunc in delirium chronicum mentisque debilitatem morbus vertitur, cujus rei exemplum obviam fuerat perillustri Erdmanno, praeceptorî meo quam maxime venerando. Creberrime invaserat id delirij aegrotum, qui, eheu! impar erat valedicendo suae ebriositati. Cel. Armstrong duo hujus morbi in maniam perfectam conversi vidit exempla,

Complicationes.

§. 8.

Non semper purum et simplex occurrit delirium tremens, sed complicatum nonnunquam etiam cum aliis morbis, in quibus numerantur: Rheumatismus, Typhus, in cujus connubio morbi exemplum Cel. Tenderinus, M. D. commemorat¹¹⁾; Apoplexia et Paralysis; nec minus Mania (semel tantum a Suttonio observata) et Scarlatina, cujus quidem cum morbo nostro consortium, a Rayero et Suttonio commemoratum, Cel. Albers

¹¹⁾ Vid. Zeitschrift für psychische Aerzte. 1821, Fasc. 1.

impugnat, adserens, phrenesiam, scarlatinae comitem, peculiaris indolis esse, a semet ipso passim observatam. De horum morborum connubio sparsa tantum et disjecta reperiuntur exempla descripta, quae vix ac ne vix quidem suffecerint ad verae ejusmodi complicationis germanam imaginem delineandam, utpote cui componendae expertorum quadam copia opus est; quam ipsam ob causam non nisi primoribus labris hanc rem degustare nobis licuit.

Causae remotae.

§. 9.

Pronitate quadam, quam et praedispositionem nostrates dicunt, delirium tremens generandum adjuvari, morbi indolis gnaro cuique jam inde intelligere licet, quod in multis aegrotorum jam exigua raraque notiorum causarum occasionalium vi exserta id mali esset obortum; alii contra saepissime et per integros annos lisdem obnoxii, nec tamen in hunc morbum inciderant, quinimmo fuerunt, qui, causarum occasionalium vehementer

tiissima vi exserta, morbi omnino immunes manerent. Quae nam quidem pronitatis, seu praedispotionis peculiaris sit conditio, determinari vix licuerit, quum id experientia nondum satis edoctus, speculatione, quam dicunt, et ratiocinando aegre reddideris, quod subministrare experta recusant.

Causam occasionalem eandemque unicam, spirituosos liquores nimis profuse immodiceque potui satis diu adhibitos ad unum omnes profiterentur medicarum rerum observatores. — Sed citra diuturnum istorum abusum etiam oboriri interdum id mali posse Suttonius ¹²⁾ docet hisce verbis: „Möglich ist es indessen, daß bei einigen diese Krankheitsanlage, wegen besonderer Beschaffenheit des Körpers, auch ohne große Ausschweifungen sich entwickelt, nie fand ich sie aber bei durchaus enthaltsamen Personen.“ — In primis frequenter in littoribus Cantii orientalis, ubi vinum adustum minimo venditur pretio, auctori huic morbus occurrebat. Praeter vinum adustum et vinum ex vitibus, melinum, cerevi-

12) l. c. p. 45.

sia nec non Spiritus Sachari et Oryzae huc pertinent. Neque est praetereundum, phaenomenorum vim in morbo nostro, spirituosorum, quibus antea aegrotus deditus fuit, genere ex parte constitui. Sic prae ceteris mitiora advehit vinum uvarum, symptomata, vehementiora adustum vinum, iniquissima denique pejor ista Spiritus Sachari species, ex Oriente adlata, quae cum acribus substantiis destillari perhibetur¹³⁾.

Causa Vesaniae in genere in omnibus fere Nosologorum scriptis, hac de re tractantibus, potuum spirituosorum abusus habetur; neque dubium, quin delirium tremens, quamquam ejus symptomata diagnostica a ceteris vesaniarum generibus non rite discernerentur, et superioribus jamjam temporibus sit observatum. Fidem facit aegri illius exemplum, in libro, qui inscribitur „Sammlung auserlesener Abhandl. zum Gebrauch practischer Aerzte. Tom. VII, pag. 485 a Richardo Cowling commemoratum, qui Mania acuta cum Hemiplegia, ex immodico siceræ potu oriunda laborabat, cujus quidem conditio cum aliis aegro,

13) Dr. Heineken in Hufel. Journ. 1823. April.

cujus Cel. Suttonius mentionem fecit, est utique simillima. Oenomaniam istam quidem fuisse vix licuerit dubitari. Idem judicaveris de alio ceteroquin simillimo exemplo a Brühl-Craméro ¹⁴⁾ in medium prolato. — Quod superioris aevi auctor ille Anglicus ¹⁵⁾ de temulentia, tanquam Maniae causa disserit, memoratu dignum mihi videtur: „Nunquam vero saepius, inquit, ebrietas ex vino, vel alio potu spirituofo, Maniam excitat, quam si somnus prohibeatur etc. Non raro autem accidit, ut, vino jam obruti, perpetuo potationem continent et hoc in negotio per dies et septimanas parum dormiant, vel adeo omni somno careant. Qui denique a potu abstinere coacti, saepe, vel causa occasionali remota, nihilosecius tamen per hebdomada vel menses delirant. Interdum bonam valetudinem non recuperant, et saepe accidit, ut, Vesania occasione data, redeat, plerumque perdurans, insanibilis reddita. In hoc ipso loco ¹⁶⁾ melinum creberrima Maniae

14) Ueber die Trunksucht pag. 40.

15) Thom. Arnoldi Bemerkung etc.

16) l. c. pag. 174.

acutae in comitatu Herefordiensi grassantis causa dicitur. Cel. Arnold submonet, adempta ipsa causa occasionali phrenesiae speciem fuisse exortam, quae, ut equidem opinor, a nostro, de quo agimus, morbo non erat diversa. Idem omnino docet Cel. Armstrong ¹⁷⁾, qui: „morbus hic, ait, saepissime in potatoribus immodicis occurrit, praesertim cum, repetita ante temulentia fuerit, deinde sive ex parte, sive omnino a consueto isto incitamento abstinuerint.“ — Ebriosos, quibus potus spirituosus usus vi fuerit surreptus, vel vesanos vel maniacos reddi, et Brühl-Cramerus ¹⁸⁾ refert, submonens, se cuidam hac ipsa de causa in Maniam de lapso (radicib. Calam. arom., Angelicae et Aethere in auxilium vocatis) salutis integritatem restituisse. Similia Cel. Suttonig ¹⁹⁾ occurrebant exempla, qualium unum in calce dissertationis nostrae in medium proferemus. — Cujus rei ratio haud difficilis nobis quidem explicatu videtur: debilitatus enim potatorum Organismus hoc

17) l. c. pag. 484.

18) l. c. pag. 39.

19) l. c. pag. 46.

ipso, cui jam assuefactus est incitamento ad valetudinem; si qua esse potest, servandam indiget sicuti ceteri homines aëre atmosphaerico; — stimulo isto contra remoto, morbus oritur. Mulierem, largis Opit dosibus adsumendis assuefactam, cum subito illas imminueret, a delirio tremente correptam esse, memorat Cel. Armstrong ²⁰⁾. Quibus expositis Idem ille submonens: „quodsi inquit, in statu quodam sanitatis, excitantibus constitutionis energia servata fuerit, his subito vel sublatis, vel imminutis, arteriarum et cordis vis ita deprimi videtur, ut circulationem aequabilem, naturae convenientem, servare nequeant, eaque ipsa de causa incongrua sanguinis accumulatio in Venis exoriatur, quo facto, systema vel opprimatur, vel ad quendam reactionis gradum, pro status sui praesentis excitetur.“

Commemoratam autem hanc causam occasionalem, quam antecessisse, licet verisimile non sit, semper ante oculos versari debere, ubi symptomata delirii tremantis in conspectum veniant, exemplum a Cel. Suttonio adlatum, docet, qui

20) l. c. pag. 495.

puellam, morbo Oenomaniae simillimo laborantem, tractavit, temulentiae ex spirituosis liquoribus primo sibi minime suspectam donec, rebus diligentius examinatis, corpus delicti, lagenam nempe, Tincturae Lavendulae absconditam inveniret, qua aegrotans, sorte iniqua pressa, antea saepius fuerat usa.

Causa proxima.

§. 10.

Transeundum jam est ad proximam morbi causam indagandam, quae, perinde atque in omnibus fere pathematibus, ingenii alacritatem quamquam excitans, spem tamen, fore ut tandem citè dignoscatur, fallere potuerit. Sagacissimorum virorum perscrutationes, Vesaniarum veram indolem atque naturam spectantes, rem neutiquam, uti par est, illustrabant. Incidebant in errores, unde vix reversi, denuo inducebantur in alios, summum jamjam rerum fastigium se conscensisse persuasi. Fuere scriptores ²¹⁾; qui Phrenesiae,

21) Svieten Comment. T. II. p. 604.

naturam, Maniæ scilicet cum febre vasorum com-
 plicatæ, cui delirium tremens tamquam species
 adnumerandum, pro cerebri inflammatione habe-
 rent. Male quidem. — Primum enim, ratioci-
 nando, irregularis functionum cerebri incitati
 conditio absque aucto vasorum actione intelli-
 gi potest, dein, licet hæc simul adsit, numquid sta-
 tim inflammatio non esse non potuerit? — Cel-
 Reil ²²⁾ præconceptam istam opinionem impug-
 nans: „Mania, inquit, nunquam ex vasis inflam-
 matis explicanda, morbus potius est Medullæ
 Cerebralis. Furorem inveneris cerebro utique
 non inflammato et contra, hoc inflammatum, quin
 adeo suppuratum reperias, absque ullo delirii ve-
 stigio. Utrumque sæpe una existere, alterum-
 que alterum excitare ex processus vegetationis le-
 gibus elucet.“ — Sed multo magis vanitas istius
 opinionis, Phrenesiam ab encephalitide diver-
 sam non esse, ipsa tractatio docet. Multæ eheu!
 victimæ peribant, methodo antiphlogistica adhi-
 bita, quas sedans fortasse sanasset. Quod idem
 valet in delirio tremente. Hinc Suttonius, me

22) Fieberlehre. Tom. IV. p. 880.

judice, recte quidem, auguratur, superiorum temporum medicis jam innotuisse id malum, ab ipsis pro inflammatorio habitum, adhibita methodo antiphlogistica, infaustissimo Aesculapio tractatum. Hippocrates enim, Galenus et Lieutaudus tremorem artuum commemorant, tamquam symptoma in Phrenesi magnopere pertimescendum, quod uti videtur, tale non esset, nisi cura sinistra adhibita, morbi naturae contraria. Neque ipsae sectiones, institutae in iis, qui ex delirio tremente diem supremum obiere, quamvis rariores, quam quae lucem huic rei offundere possint ullum exhibuerunt cerebri inflammati vestigium. Sed morbus noster cum non cernatur in phlogosi: quaero: quaenam alia sit ejus proxima causa? quae ejus sedes?

Ante omnia nonnulorum medicorum sententias in medium proferre mihi liceat. Suttonius delirium tremens cerebri morbum esse credit, in quo, si partes cranio tectas, examines, semper morbosam inveneris mutationem, una cum quibusdam earum sequelis, cum aliis capitis morbis conjungi solitis, neque mirum fore, post mortem hoc morbo affectorum, laticem effusam intra mem-

branas, nec non venas encephali sanguine repletas inveniri. — Opinio ejus tamen in eo versari videtur, quod organicam mutationem, inflammationis sequelam vel saltem vasorum erethismi agnoscat: sed morbum hunc nonnisi dynamicis esse adnumerandum, celeritas prae ceteris probat, qua aegrotans meliorem subit conditionem, mox omnino convalescens, id quod, qualescunque fuerint organisationis affectiones, vix ac ne vix quidem fieri possit. — Cel. Armstrong symptomata peculiaria delirii tremantis ex congestionibus sanguinis ad cerebrum et hepar, conjunctis cum incitatione nervorum explicat, sed, cum duae tantum sectiones, quas instituere Armstrongio contigit, illas, et parum quidem conspicue exhiberent, et praeterea quo pacto ejusmodi congestiones et in aliis morbis, in quibus similia Phaenomena neutiquam appareant, obviae, haecce symptomata pathognomonica producere possint, nullo modo explicari liceat, conclusio illa non nisi a solitaria parte petita mihi esse videtur, quamquam illas congestiones adesse utique posse, equidem negare non ausim. Neque incitatio nervorum, de qua loquitur, suffecerit ad rem satis illustrandam,

tum; cujusmodi sit, ignoretur eluceat. — Cel. Albers, M. D.²³⁾ naturam delirii trementis non inflammationem cerebri vel ejusdem membranarum efficere autumat, sed potius pathema cerebri, cujus quidem indolem explicare non audet.

Quotsi praeconceptarum opinionum immunitatem diligenter perpendaris, non nisi de tribus hinc cogitari licebit, licet unum tantummodo e tribus ad verum accedat: Nimirum vel cerebrum solum eximie afficitur, vel mens sola, vel uterque morbo corripitur. Opifex si arte sua indignum opus perficit, in ipso non semper culpa haeret, sed instrumentorum vitiosa conditio; sinistri successus causam esse potest, et contra quod idem in morbosam animi directionem valere mihi videtur, cujus, si rite functionibus suis satisfacere velit, reciproca actio cum ejusdem instrumento utique requiritur. Tum autem verosimile hoc esse dixerim, cerebrum eximie esse adfectum. Morbo enim e causa somatica exorto, ante et somatica nostri corporis pars prius adficiatur necesse est,

23) In praefatione ad opusc. Suttonii.

quam, ob arctum corporis cum animo connubium et haec aegrotare coeperit. — Quod cerebri vitium uti jam supra monuimus, dynamicum esse nobis videtur. Neque solum consistere in morbose aucta, sed etiam quorundam organorum cerebri anomala actione, quod proinde ex phaenomenis, atque ex ipsa curatione elucet. Fieri vero non potuerit ut exactius et uberius hoc de cerebri pathemate disseram, dum singulorum Organorum functiones et occulta corporis cum animo conjunctio intellectum humanum et rationem latuerint. Sed ne id quidem crediderim ex partibus nostris corporeis cerebrum primum aegrotare, sed potius in hepate mali fontem quaerendum esse existimem, cum, uti inter omnes constat, alcohol proxime vasibus Portarum excipiatur et praeva-lente sua hydrogenii copia magnam sensim mutationem in systemate, bilis secretioni inserviente, non producere non possit.

Magis, quam proximae causae investigatio, quippe qua optatum finem aegre attigeris, characteris morbi in genere diligentior contemplatio, nec non status incitationis systematum cardinalium Organismi nostri in decursu morbi, conspicuus

curandi rationi prodesse mihi videtur. Genus morbi in universum non semper sibi constat, sed pro temporis ratione, quam diu spirituosorum abusus duraverit, pro aetate, constitutione corporis singulari, vitae genere, conditione epidemica, quin immo pro potus genere, quo ante abusus fuerit aegrotans, est diversissimus. Malum illam in genere servat regulam, ut duas potissimum characteris diversitates admittat, Stheniae et Astheniae cum Erethismo respondentes; sensim vero sensimque per innumerabiles declinationes et aberrationes alia transire in aliam potest. Stheniae characterem multo rarius quam Astheniae in morbo nostro invenias, et apud eos quidem, qui habitu robusto, aetate vel juvenili, vel media gaudent, seu qui nondum diu neque assiduo causae occasionali sese exposuerant; Asthenia vero frequentissime praevalet, in habitu debili, sensibili, jam provecta aetate et veteribus jamque inveteratis Bacchi cultoribus. Quod ad statum incitationis singulorum systematum capitalium attinet, tum ex morbo symptomatibus tum ex successu, quem variae habuerunt curandi methodi, et quorum faustissima sedans fuerat, sequitur, ut,

quod jam supra monuimus, systema cerebrale in-
 citatione, erethismo, labore, cum, energia haud
 aucta, actio qualitative simul mutata in altio-
 rem gradum extollitur. Systema vasorum, vel ut rec-
 tius dicam nervorum, vasis inservientium, ab ini-
 tio magis normali actioni appropinquat, sed in
 summo morbi fastigio ob exaltatas systematis cere-
 bralis vires corripitur, quod pulsus parvus, fre-
 quens prodit, quamvis vasorum raro cerebri ere-
 thismum adaequet. Vasorum systema et muscu-
 losum, sibi respondentem pari passu ambulant, id
 quod ex tremore manuum, spasmodica flexorum
 contractione, tendinum subsultu ceterisque licet
 cognosci. Saepe vero systema irritabile energia
 aucta et Synocha laborans animadvertitur, quale
 nonnunquam in juvenibus plethoricis, cum pulsu
 pleno, duro, modice accelerato, occurrit. Vi au-
 tem contraria tractus intestinorum languescere vi-
 detur, ciborum adpetentia plerumque deest, alvi
 dejectiones retentae, saepe adest obstructio etc.
 Nonne simile quoddam invenitur in Mania atque
 in ipsa animi contentione in meditationibus diu-
 turnis et implicatis, demersi, in quibus pari modo
 systema gastricum torpore antagonistico aegrotat?

P r o g n o s i s,

§. 11.

In genere haud omnino iniqua; nam interdum morbus solius naturae viribus sponte finitur, cujus rei nuperrime exemplum nobis innotuit, morbi quidem diversissimis curandi methodis, licet multo saepius antispasmodica, quam ceteris adhibitis sanati. Juvenes plethorici ²⁴⁾, nondum diu spirituosorum potationi dediti, facilius Apoplexiam timent, quam veteres et temulenti, in quibus delirium tremens magis torporem, chronicam debilitatem, praecipue musculorum, animi hebetudinem et tremorem manuum, in jejunis relinquit. Praeclare Cel. Armstrong ²⁵⁾: nisi, inquit, intra mensem primum aeger convaluerit, timendum est, ne diu, vel in sempiterna vesania remaneat, cum morbus magno vigore saeviens, ante mensem elapsum aut prospero aut infausto finitur successu. Oboriente morbo si contigerit, ut somnum quietum et longum produci liceat,

24) Dr. Heineken,

25) pag. 485.

plerumque tum mox convalescentiam videas insectam, tametsi quondam aegrum e somno VI horarum utique quieto expergefatum, praeter spem salutis convulsionibus perire viderem. Signa soporis, vel convulsionum, sempiternae vigiliae, magna incitatio, anxietas vehemens et saepe iterata, pulsus frequentissimus tactuque vix perspicendus, vomitus creber, cutis frigidissima, tendinum subultus et praecipue pupilla arcte contracta, cum gradu quodam strabismi, malignissimis adnumeranda sunt symptomatibus. Aegroti, qui magnis calamitatibus oppressi se dederint ebriositati plerumque in magno versantur salutis discrimine, utpote quorum in mentem durante malo adveniarum rerum memoria in sese nondum oblitterata assiduo revertitur; incitationem et consumptionem virium tantam producens, cui oblucari aegre possit. Potiores istos consuetudinarios, qui jam ante chronica hepatitis, vel simili organi cujusdam affectione aegrotabant, sors manet infestissima. Equidem saltem duo hujusmodi homines me videre memini, qui cito succumberent suo malo,

C. u r a.

§. 12.

Priusquam ad therapeuticam me converto curam, quaedam de prophylactica praemonere mihi liceat. Quamquam rarius et in iis, qui aut omnino non frequenter dediti temulentiae erant, aut ex brevi quidem tempore, sed multum potationi indulgebant, delirium tremens occurrit, plerumque tamen malum est veterum, perfectorumque heluorum, temulentiam exquisitam subsequi solitum. Quae cum ita sint, plures, nec fortasse immerito dixerint, veram morbi nostri prophylaxin consistere in debellando ipso ebrietatis vitio. Qua de causa et nos rem, tanquam huc non pertinentem, silentio essemus praeterituri, nisi tribus recentiorum temporum scriptis, ad hanc attingendam materiam adduceremur. Scripta illa dico, a Cel. Brühl-Cramero, Trottero et Hohnbaumio in lucem edita, in quorum duobus, postremo quidem loco commemoratis, rerum summa longe aliorum redit atque in primo illo.

Brühl-Cramerus, qui vehementem et consuetudine adauctam potuum spirituosorum adpeten-

tiam vel temulentiam, ex somatico malo, tanquam fonte oriundam autumat, istam ad potandum propensionem ad summum gradum jam provectam, pharmaceuticis debellandam fore, sibi persuadet, remediis. Utitur ille quidem acidis, praecipue acido sulphurico, istam cupiditatem, se ipso teste, quam maxime infringente; in magna debilitate: Cortice, Castoreo, Flor. Arnicae, curamque Martialibus adhibendis suadet finiendam. Quamquam morbos vinoleptiae frequentissimos comites, proclivitatem innuentes ad decomponendum sanguinem, ad nimiam hujus desoxydationem per alcohol hydrogenio abundans, quales sunt maculae petechiformes, profluvia sanguinis etc., illam requirere medelam, libenter equidem concesserim: at percipi mente tamen nequid, qua ratione haecce remedia vim ethicam pessum utique datam, ita ut impar sit temulentus ad devincendum tristem animi affectum; veluti resuscitari omnino possint, atque sensus adpetitivi vim rationi et voluntati subjicere — Cel. Hohnbaum M. D., Brühl-Crameri sententiam modo commemoratam de proxima temulentiae causa, in opusculo suo ingeniose refutat, et malum hoc, sicuti quaeque mala

consuetudo et quodque vitium in oppressa libera voluntate positum esse, ceterum vero cum corporis pathematibus conjunctum esse posse et debere, comprobatur. Huic morbo ergo, quippe quem recte ad mentem referat, psychicam curandi methodum opponit. Tanquam primum et palmarium remedium commemorat violentiam, cujus usu primo quidem tempore, quo aegrotus temere corporis voluptatibus servit, supersedere vix poteris. Potus vero non semel, nec subito, sed sensim, subtrahatur adpetenti, quantitate in dies imminuta, simul iis rebus remotis, quae per associationem idearum studium consuetum in memoriam revocare potuerint; quem in finem assiduo custodes delecti ex iis, quibus aegrotans intima familiaritate usus erat, ipsius vitii, uti decet, immunes, eum comitentur. Sicut sub curae initium summum esset remedium, ut ad sobrietatem cogeretur et arceretur a potando aeger, sic in posterum ethica ejus conditio, voluntas et animi vis ipsi fuerit vindicanda, monitis prudenter institutis, blande exhortando, exemplo praelucente augenda et excolenda. Occupationum varietate aptisque laboribus, avocandus miser a vitio foret,

donec animi perturbatio fracta, vehemens potuum spirituosorum adpetentia devicta, vel saltem insigniter fuerit imminuta. Qua in re ceterum diligentissime fugiatur omnis contemptus testificatio et irrisio. Aeger sanitatem recuperans, consuetum, unde victum ante quaerebat, negotium suum, maxime ubi temulentiae ansam praebere eamque adjuvare potuerit, aut vini vel siceræ mercaturam etc.: cum alio permutet. Qui temulenti hisce non curantur remediis, Cel. Holmbaumio suasore, tradendi sunt publico insanorum hospicio, ubi facillius vi fuerint arcendi, omni ad potandum ansa ipsis adempta. Scilicet quaeque fugienda foret dedecoris species omnisque in eum inde dimissum inhumanitas et ludibrium; nec sentiat quidem aeger, ubi fuerit commoratus, aliter enim verendum, ne moerore cruciatus denuo ruat in perniciem, quam vix effugerat.

Cel. Trotterus etiam psychicae curandi methodo summas tribuit, quae vero una adsunt corporis mala, pharmaceuticis etiam remediis suadet tractanda. Ceterum subito potum spirituosum adimi hisce miseris mavult; id quod, nostro quidem arbitrato, fuerit omnino improbandum.

Et ipsi Brühl-Cramero, qui somaticae medelae causam agit, nolenti contigit, ut contrariam opinionem tueretur, hisce verbis: „Aegrum ita constitutum animo esse oportet, ut medici curae suscipiendae par sit, i. e. appetere sanationem debet.“ — Pag. 73 idem repetit, et ea quidem de causa, istam tueretur conditionem, „ut, assiduo malo succumbens, primo vel secundo die, vel dum medicamenta conspicuum exserere coeperint effectum, se ipse cogat, et arceat, neque nisi ad bibendum indulgeat.“ Pag. 75. Semper, inquit, nonnulla violentia est adhibenda et remedia modo dicta consentanea dosi exhibenda, et pag. 76; non nisi illi homines ad curationem suscipiendam apti, qui magis se patientes exhibeant, i. e. qui medicorum praeceptis obtemperent. Nonne vero hanc ad rem perficiendam altior, quam qua pollet, suo genio imperitandi facultas requiritur? Alio quodam loco, quem quidem in promptu jam non habeo, contendit idem, liberalem illam aegri voluntatem ad curam subeundam utique esse necessariam. — Cum vero liberalem illam aegroti voluntatem, violentiam et psychicam tractationem in genere curae omnis summam esse, hisce

verbis contendere videatur auctor ille, licet ipse id non fateatur, medicamentorum virtuti tribuit, quod cura psychica re vera praestabat. Cumque alterutri tantum summa vis efficax tribui liceat, in aprico est, pharmaceuticam temulentorum curam nonnisi secundariam et accidentalem esse putandam.

Ceterum mirandum est quam maxime, neque Brühl-Cramcrum, nec Trotterum, frequenter temulentiam observantes, unquam ejus sequelam, delirium tremens, commemorasse, praesertim cum hic auctor magnam morborum inde oriundorum copiam enumeret ac delineet,

§. 15.

Quod denique ad ipsam therapeuticam curam attinet, sequentes sese offerunt indicationes:

1. Systematis nervosi turba mitiganda;
2. Torpor tractus intestinorum tollendus, qua fortasse indicatione, solummodo propter largas opii doses, opus est;
3. Complicationes, si quae adsint, removendae.

Duae praecipue sunt res, quae in morbo nostro tractando, respiciendae sunt medico: Primo

incitationis modum, ut jam supra monuimus, in stadiis diversis varium, et initio abusum incitantium, postea vero, si oppressio in conspectum venerit, debilitantium esse fugiendum. Deinde et magis quidem, perpendere medicum oportet, morbi characterem multis rebus variari, viresque et incitationem in genere, in aliis aliter sese exhibere, qua de causa in alio Sthenia ante sit frangenda, quam priori indicationi satisfacere possis, cum in alio contra omnis rei cardo vertatur in sedanda saeviente nervorum actione.

Certe nullum observari licuerit morbum, qui, qualiscunque sit, ejus forma et modificatio, qualiscunque aegri habitus uno eodemque, quamvis praeclare, sanaretur remedio. Hoc vero historia medicae artis et nostri aevi docet, novam medendi methodum, novum remedium, passim fausto Aesculapio adhibitum, primo ardentis animi impetu, ad morbum quempiam debellandum, quaecunque ejus fuerint momenta et conditio, maximis laudibus extolli. Id quod nobis in opium in delirio tremente adhibitum valere videtur, et quamquam Germanorum, Britannorum et Franco-Gallorum observatorum auctoritate summum re-

medium esse credatur et semper fortasse fuerit, attamen manifestum est, immodica opii admiratione, praecipue auctoritate medicorum nonnullorum Brittannorum, alia neglecta esse remedia, quae sexcenties mirum in modum profuerant, neque in quibusdam morbi nostri formis opio compensantur. Liceat igitur, priusquam de usu hujus unice fere laudati medicamenti loquar, alias medendi methodos commemorare, easque in certa morbi conditione ad sanationem praestandam necessario adhibendas esse, docere.

Remedia antiphlogistica.

§. 14.

Cum nuperrime adhuc delirium tremens pro encephalitide haberetur, plerique medici antiphlogistica usi sunt methodo, ut sanguinis evacuationibus, tum universalibus, tum topicis, salibus neutris, acidis, praecipue sulphurico, quod Cel. Albers M. D., saepe maximo cum fractu adhibuit, tamen experientia, rerum magistra, e docti scimus, hanc tractationem gloriam apud medicos sibi non vindicasse. In primis sanguinis

detractio multum nocuit, et mors saepe morbo finem imposuit, quia vires potatorum, jam antea fractas exhauriebat, neque verum inimicum, turbam nempe systematis nervosi, debellabat. Quo factum est, ut simulac novum introductum esset remedium, opium scilicet, Antiphlogistica et venae sectiones minoris existimatae eliminarentur. Cel. Suttonius sanguinis evacuationes fere omnino rejicit (quamquam ex XVI, quos commemorat, in VII aegrotis cum fructu sanguinis detrahebatur), Opio sufficientem istarum compensationem subesse persuasus; concedit ille quidem, in ipso morbi initio, vel in magna plethora has in usum vocari posse, semet vero ipsum tum etiam solo opio sanationem perfecisse professus est. Cel. Pearson ²⁶⁾ contendit, sanguinis missionibus, purgantibus et carcere, in usum vocatis, ex XX aegrotis, quantumvis robustissimis, unum tantum evadere, quod quidem si carcerem excipias, certe fidem superat. Et Cel. Armstrong primum quidem improbat venae sectiones, quam tamen opinionem suam in „Practical observations on typhus fever“ ex parte

²⁶⁾ Observations on brain fever etc.

reprobavit. Pari modo Cel. Rayerus vituperat et venaesectionum et hirudinum usum. — Parum aberat, quin eliminatio ista methodi, ontui exceptione superior, ut quae alias non raro sit saluberrima, tantorum medicorum auctoritate, multum arti illatura fuisset detrimenti, nisi alii viti de salutari arte optime meriti, praeconceptarum opinionum immunes, illorum placitis sese opposuissent, et experientia adducti hujus methodi patronos egissent. Jam ex ipsa theoria quisque morbi indolis haud omnino ignarus intelliget, certis quidem conditionibus Antiphlogistica prodesse et posse et debere, etsi non omnino devincant morbi naturam. Nonne tum, cum systema vasorum excitatum et ad Synocham genuinam auctum sese prodit; cum ad cerebrum et alia organa nobiliora congestiones, cum simul status adsunt inflammatorii, nonne tum, inquam, venaesectionum ceterorumque Antiphlogisticorum opus fuerit usu? Nonne hae complicationes, sicut in ceteris morbis, antequam ad cerebrum aegrotans sedandum opium adhiberi liceat, (quod ipsum jam remedium sanguinem ad capitis vasa propellere omnibus constat) ante fuerint removendae? —

Sed sola in morbo nostro tractando theoria nullam habuerit vim, experientia potius est, quae magnum illud, quod putabatur, medelae anti-phlogisticae damnum refutat, nec solum multum adferre fructum, sed vel necessarium esse illius usum probavit. Albersio ²⁷⁾, M. D. in multis aegrotorum magnum praestiterat fructum, ut qui meritis eam extollat laudibus, in vegetis quidem hominibus et in morbi initio, qua in re alii etiam, ipsius regionis medici cum eo consentiunt. Quosdam ille commemorat ejus modi aegrotos Wedemeyeri curae medicae commissos, quorum secum ipse communicaverat mentionem, quibus, Opio postea adhibito, arteriam temporalem aperuerat. Faustissimo successu Gel. Heinecken, M. D. aegrotorum mentionem facit, qui omnino convaluerant adhibitis venaesectionibus, cum cathartics et refrigerantibus, et, eum vehemens adesset congestio ad caput, et, ad prohibendam inflammationem, hirudinibus et epithematibus frigidis ad caput, commodis-

27) V. Praefationem ad opusc. Sutton. p. 21.

sine in auxilium vocatis. Ipse Armstrong ante omnino sanguinis evacuationibus inimicus, in opere de typho: „in Constitutionibus, inquit, repetita ebrietate non concussis venaesectionem mediocrem et mature institutam multum prodesse vidi, in pritis laxantibus valentioribus eam subsequis. Hoc in morbo serdium evacuationem semper nocere; diu erat mihi persuasum, at hac opinione ex noxa, quam in provectori gradu ferre illam viderem, praeconcepta, contra salubri, quem postea, ab initio morbi multorum aegrotorum, animadverti, effectu, a pristina hacce opinione mea me liberatum profiteor. At non multa inveniri exempla, ubi lanceolae usus utique sit necessarius, persuasissimum habeo.“

Oel. Eichelbergius, M. D. priusquam Suttonii observationes ipsi innotescerent, aegrotum curae suae commissum, decies fere quotannis in hunc morbum delapsum, antiphlogisticis tractatum semper restituit. — Horum virorum experientia suffecerit his saltem statuendis: 1) Sanguinis detractiones in connubio cum subsequente Opii usu, sub certis conditionibus, non licere admitti, sed necessario etiam esse adhibendas.

(Venaesectiones et Laxantia interdum sola, et ceteris remediis exclusis, sanationem producant.)

— Conditiones vero, quibus, in adhibendis venaesectionibus, opus est, ut, iterata vice, distinctius de iis disseram, hae esse videntur: 1) Temulentia non diu perdurans nec utique in consuetudinem versa. 2) Constitutio robusta et plethorica, aetas non provector. 3) Solum initium morbi. 4) Congestionés ad cerebram vel arteriosae, vel venosae. 5) Complicatio cum inflammatione.

Connubium vel complurium, vel nonnullarum conditionum adducet medicum practicum ad deliberandum, utrum majori, an minori sanguis sit copia detrahenda? topicaene sint, an universales sanguinis evacuationes?

Summe nociferae, immo lethiferae venaesectiones sunt in contraria conditione, in primis in potatoribus veluti inveteratis et enervibus, in infirmis, sensibilibus, musculis admodum debilitatis, pulsu invalido, facie pallida, superficie madente, frigidiori caloris ejus statu saepe mu-

tato. Nec plerisque quidem suavioribus alteram venaesectionem licet excedi.

§. 15.

Ad remedia purgantia in specie quod attinet, et horum in morbo nostro ab antiphlogisticae methodi adversariis repudiatus est usus, novissimis tamen temporibus fausto successu restitutus, utpote quae saepius, quam sanguinis evacuationes, sunt adhibitae et possunt adhiberi, licet per se sanationem ipsa non producant, nec nisi remediis auxiliaribus, quamvis gravissimis, sint adnumeranda. Quaterna est illorum adhibendorum conditio: 1) Tanquam antiphlogistica, ubi quidem hac opus fuerit methodo, adhibeantur; 2) Torporem viscerum abdominalium tollant, Ganglia ventris infimi excitent, quippe quae secundum observationes Cel. Armstrongii tum, in morbi initio, magnum, ne dicam specificum, praestent effectum. Rarius omnino accidere monet, ut prima negligi possint periodo, in sequentibus contra, multum damni afferre. 3) Praecipue Opii, alvum adstringentis

effectui, resistant, quem in finem largis adhiberi oportet dosibus, cum et clysmata magnopere adjuvent, praecipue ex aceto, a Cell. Heinecken et Albers laudata. Suttonius vero non tanti momenti esse autumat, si alvus non excernatur, hac de causa opii usum differre. 4) Id simul agant, ut statim ab initio canalis cibarius a sordibus accumulatis liberetur.

Nos quidem juvaret, si methodum antiphlogisticam, quamvis raro ipsam summam curam saepe tamen grave et necessarium quoddam auxilium in sanando delirio tremente exhibere, probasse nobis contigerit,

Excitantia volatilia,

§. 16.

Et excitantium usum in morbo nostro salubrem, vel saltem non noxium esse, eorum frequentatio crebrumque cum Opio connubium condocuit. Inter alia remedia incitantia, Brit-

taniae medici antea praecipue Naphtam vitriolicum Opio conjunctam in auxilium vocarunt. Cel. Behr, M. D. Bernburgensis aegrotum suum sanavit Cortice Peruviano, Cascariillae, rad. Valerianae, Aethere sulphurico, Ammonio pyro-oleoso et pauxillo Opii Tincturae. Suttonius saepe Opio adjunxit mixturam camphoratae et Castoreum. Praeceptor noster venerandus, ill. Erdmann, delirium tremens genuinum magnis Camphorae dosibus sanavit, quod remedium in aegroto, in nosocomio acad. Caes. Dorpatensis tractato infra uberius commemoranda bonum exhibuit effectum. Armstrong et alii aegrotis suis vini et cerevisiae firmioris aut magna quantitate praebita, sanationem perficiebant. Hinc Cel. Armstrong: „respectu priscae consuetudinis, ait, aegrotis, iis praecipue, qui diu iusto largius potabant, quaedam permittenda excitantium copia, quippe quibus potus spirituosus aliqua quantitas idem fere est, quod hominibus, modum in bibendo tementibus, sibi consueti, quibus quidem, qui vires exhaustantur, ad longius tempus carere non possunt — et dosis dumtaxat iusto largior fuerit data, saepe saluberrimum sane praestat.

effectum, Incitatione moderanda et cordi arteriisque eam praebendo energiam, quae par sit aequilibrio circulationis utique restituendo.“ Ex omnibus his observatis sequi videtur, remedia excitantia volatilia non solum saepe non esse noxia, sed certis sub conditionibus adeo salubria, ubi nempe temulentiam et inde oriundam perturbationem constitutionis, nec non magnam symptomatum morbosorum vim, vera subsecuta fuerit virium prostratio et debilitas. Secundum Therapiae generalis praecepta equidem igitur crediderim, urgente malo (casu quem dicunt acuto) in temulentis enervatis magnaue debilitate adfectis rad. Serpentariae, Camphoram, Aetherem, Ammonium, vinum, cum Opio conjungi posse, ut vitae vis sustineatur; in chronica autem hujus morbi formam et sub conditionibus supra memoratis, Corticem et ferrum palmaria remedio, addi debere. Simili modo excitantium beneficiis carere non possis, ubi delirium tremens cum febribus typhosis, vel potius adynamicis, est complicatum, cujusmodi exemplum Cel. Fendringius, M. D. uberius nobiscum

communicavit, morbi quidem nostri febre nervosa lenta gastrica concomitati.

O p i u m.

§. 17.

In libro „Samml. auserl. Abh. etc.“ commentatio invenitur Nicolai Friborgii, qui in Mania acuta ex abusu spirituosorum exorta, Opium favente Aesculapio adhibuit, atque jam praeceptorem suum, Fabricium, ad similem morbum, Opio, prospero cum successa usum fuisse perhibet. Tum Youngius, M. D. Novo-Castro-Anglus, (upon Tyne etc.) primus morbum nostrum rectius perspexisse et Opio adhibito tractasse videtur. Hujus observationibus freti, primum Pearson, deinde Suttonius, Armstrong aliique Opium ad delirium tremens impugnandum adhibuerunt.

Sine dubio validissimum hoc est remedium ad morbum nostrum debellandum, utpote quod

ipsam ejus indolem oppugnare videtur et magna ex parte laudes multas et infinitas, quibus celebratur, omnino meretur; at magna tantum ex parte; neutiquam semper et omnino hoc evenire et campum ejus, post prosperos quosdam successus, nimium fuisse extensum, contendere nobis liceat. Primum ad Opii usum hoc invitasse medicos videtur, quod observassent morbum somno praegresso, sponte fuisse finitum. Hinc remedium hoc adhibuerunt, et fortasse fortuito tum quidem, cum nullae adessent gravioris notae contraindicationes, quamobrem eventus faustus non esse non poterat. Neque mirum, fidem hujus remedii cito increvisse, mox evasisse infinitam. Infaustos contra eventus huic tribuendos, ut transitum in Coma et Apoplexiam, ex praconcepto nimio illius amore aliarum rerum accedentium vi et conflictu excusasse videntur temerarii admiratores. Itaque non est, quod mireris, Cel. Suttonium et Bayerum in solo Opii usu medelam quaerere, sicut Britanni et Franco-Galli remedium hoc justo pluris aestimant. — Jam ratiocinando intelligere possis, laudem hanc omnem modum excedere et pro aegrotantium pecu-

liari conditione accidere posse, ut dissuadendus sit Opii usus, vel non nisi praevis aliis remediis, admittendus; cum ne Cortice quidem in febre intermittente et Hydrargyro in Syphilide semper uti liceat. Finis autem Opii adhibendæ primarius cum in eo solum sit positus, ut systema sensibile, iterata intemperantia, spirituosis violentius excitatum, adeoque debilitatum et mutatum sedet, roboret, reducat ad normalem functionem, nec non commubium concors cum systemate irritabili sublatum restituat; haec omnia prospero eventu fieri nequeunt, dum systema vasorum ad statum inflammatorium usque sit excitatum, dum congestiones ad cerebrum, pulmones, cor, hepar, aliaque organa vigeant, dum venter et omnis tractus intestinalis saburra sint repleti? Nonne discrimen fuerit servandum in cura medica adolescentis vegeti succulentique, et senis potatoris enervati, omnique vitali vi destituti? Nonne in illo praemittenda forent antiphlogistica? non in hoc excitantia volatilia adjungenda, ad vim vitalem retinendam, jamjam effugituram? Et re vera meliora nos hac in re edocuit ipsa experientia. Et Armstrongius quidem,

Opium ante temerarius admirator idem, nunc rem ab altera tantum parte se spectasse ipse, fatetur, in robustis neque consuetudinariis potatoribus vix unquam Opium adhiberi posse, concedens, nisi prius viscera repetitis purgantibus fuerint evacuata,

28) „Prius, inquit, si cognoscere mihi contigisset huius praecepti necessitatem, saepius fortasse feliciori successu gavisus fuisset, cum vero in eo potissimum deliquissem, quod in quolibet morbi gradu aut mutatione opium praebere, hunc errorem, aliorum salutem prospecturus, hoc loco corrigere allaboro.“

Magis etiam Germanorum medici impugnaverunt primum istum neque ex ulla conditione pendentem usum, ut Cel. Albers, Heineken, Eichelberg, Med. D. D. cum compluribus aliis. Praeter commemoratas circa huius remedii usum restrictiones sine dubio plures comperissemus, si omnes essent haud minus sinceri, quam

solertes observatores. Tametsi id acturi eramus, ut crebrius temperandum esse suaderemus opii usibus, raro tamen ab usu ejus utique fuerit abstinendum. Ergo an et quando aliis praecedere remediis, seu in connubio aliorum praebere debent, foret disquirendum. Quod quidem ipsum tum ex iis, quae supra, §. §. 14. 15. 16. jam dicta sunt, elucet, tum infra ulterius docebitur.

Ad Opii adhibendi rationem quod attinet, medici alii ab aliis in hac quidem dissentiunt. Pro vario gradu amoris eximii hujus remedii, quo capti sunt, alii illo solo puroque utuntur, alii aliorum medicamentorum connubio, alii largis dosibus statim ab initio (ut Pearson, Bidwell), alii primum parvis, sensim auctis. Plurimis perinde esse videtur, quo utantur praeparatorum genere, aliis aliud praeferebantibus.

Suttonius, largarum omnino dosium ille patronus, persuasum habet, hujus generis aegrotis tantas conducere Opii doses, quantae mortiferae forent siye sano homini, siye alio morbo labo-

ranti, id quod et aliorum expertis satis est comprobatum. Qua ipsa de causa dissuadet idem, in morbi principio, necdum conspicuis delirii tremementis symptomatibus, doses largiores, persuasus, morbi conditionem tum eam nondum esse, nec vires satis vigere, quam ut tantam (Opii) quantitatem sustinere possint. Propinare ille Tincturae Op. simpl. guttas xxx — xxxxx, aut Laudani, horis alternis, rarius etiam, ubi visum fuerit, tertia quaque hora, vel extract. Opii gr. j in iisdem horarum intervallis suadet. Aliquoties gr. III., quàm V. praebere visum est eadem. — Simul solutam, quae debet esse, alvum servare studet Suttonius. — Somnus, dosi tertia, quarta, quintave praebita, insecutus, saepe serior. Ad curam secundariam perficiendam, mane et vesperi exiguas Extr. Opii grani unius ad duas, doses, per complures dies convalescentibus commendabat assumendas. Cel. Albers, M. D. suadet emetici (infra fusius commemorandi) et ubi necessitas urserit, simul sanguinis ex aegroto detrahendi usum praemittere. Plurimum pariter conducere, sicut Cel. Armstrongio ipsi visum est, Opii cum calomele consortium.

Ceterum praefert substantiam tincturae. Cel. Rayerus nullius praeparati, tanquam efficacioris, patronum agens, arbitrarium illius delectum putat. Cel. Dupuytrenius enematis laudanum suadet adhibendum.

Gel. Armstrongi methodus medicandi (nisi quod nimium pertimescat ille sanguinem mittendum!) maxime omnium conducere nobis videntur, et eo quidem, quod creberrima experientia non minus, quam observationibus faustissime institutis primus videatur edoctus ille, non semper in eadem forma comparere morbum nostrum; neque igitur una tractandi ratione esse sanandum, quum suam tractandi methodum rerum conditioni, secundum universales artis nostrae canones, et sanè ex ipsa experientia hausta praecepta, Empiricorum vestigiis haud insistens, velit adcommodari. Duas potissimum easdemque palmarias distinguit ille modificationes, simillimas illis quas nos exhibuimus. — Si senes enervatique morbo isto infestentur potiores; si pulvis fuerit debilis ac minutus; si pallida facies, si viscosa superficies, frigida;

temperiemque insigniter varians; si comparuerint valde fractorum virium indices, ita, ut de detrahendo aegrotis sanguine cogitare nefas esset: tum laxat primum aegrotorum viscera Cel. Armstrongius, Calomele, rad. Jalappae et magnesia sulphurica. Quo sufficienter facto, aquae tepidae, sale satiatae duobus tribusve gallonibus Anglicis superfunditur et calefacto lano panno abstersus collocatur in cubili; deinceps praebentur ei omni bihorio, vel tertia quaque hora Tincturae Opii xxxx — L. guttae ex aliquantulo calidi vini. Tum Calomelis et Opii continuat usum, et illius quidem ad gr. iii . hujus ad sesquigranum; quas quidem doses tantum ab initio commendat, deinde opii dosi, imminuta et Calomele utique omisso, cum primum hujus vim in gingiva exsertam animadverterit. Ulterius etiam continuat, plerumque bis per diem et noctem tepidas superfusiones, non nisi in summa aegrotorum inquiete ter quaterve per singulos dies adhibendas. Primis quatuor quinque diebus si quotidie evacuata non fuerit alvus, aperiens mitius remedium suadet, ut ol. Ricini; posthac autem evacuantium loco ene-

mata commendat Armstrongius, persuasus in anterioribus morbi periodis, enervatos istos potatores ne modicas quidem sine damno sustinere evacuationes. Hujusmodi aegrotis imprimis praebet ille incitantia volatilia, et vinum nimirum, aut cerevisiam, et hanc quidem tum, cum pulsus frequentia, irritatio universalis manuumque tremor vini usu non imminuitur, sed potius augetur.

Robustioribus, qui spirituosorum humorum potationibus haud ita crebro sese dederint, evacuantia omnino, maxime autem duobus tribusve prioribus diebus, largius adhibere suadet Cel. Armstrongius, Opi contra usu, primo hoc quidem tempore, omnino abstinere, ob periculosissimas, quas e contratio oriundas observaverit, sequelas. In hujusmodi aegrotis curandis interdum tepidis superfusionibus, cum purgantibus, deinde, noctu Calomele cum Opi unitur. In paucis ejusmodi aegrotis tractandis, et in primo quidem insultu, cerebro sanguinis congestione, ultra quam solet, infestato, utebatur ille venaesecione, raro amplius decem un-

tris sanguinis una vice aegro detractis, et hac ipsa operatione bis ad summum, nec frequentius, repetita. Quam forte nimiam modum excedentem dixeris providentiam.

Ceterum docet Gel. Armstrongius purgationes utrobique non nisi prioribus morbi periodis esse adhibendas, quippe quae in provectoribus periodis vim longe perniciosissimam exserant. In quibus contra Calomelis cum Opio connubium, quo Gel. Albers, M. D. usus erat, maximopere sit commendandum. Deinde docet idem, in summis periculosisque morbi periodis evacuationem quamcumque esse vitandam, Calomelis autem cum Opio connubium, inter ipsa adeo phaenomena spem omnem salutis fallere visa, faustissime a se esse adhibitum. Sed haec de Armstrongiana tractandi methodo (pariter adfatim docente, delirium tremens non omnino aequabiliter tractari licere). — submonuisse sufficiat.

Sicut solitarius Opii usus, ceteris remediis neglectis, taxandus in medico nobis videtur, ita proinde eos, qui praecitati hujus remedii doses justo majores suadeant, rerum conditione temere neglecta, in alterum incidere errorem, nobis est

persuasum. Manifestum est, neque experientia minus comprobata, in tantis istis dosibus adhibitum haud minus laetiferam istam vim non exserere non posse, qua, in alia rerum conditione parcius praebitum, solet esse conspicuum, licet, ad varia commoda ope ejus accessenda, ad somnum invitandum quietemque adgerendam, omnino consueto largioribus dosibus fuerit opus, et mediis inter id, quod jam nimium, jam nimis parum definitur, obtinentis ardua adjudicatio. Fuerunt etiam, qui magnam ad soporem et ad apoplexiam pronitatem morbi ipsi generis tribuerent, cum potius in temerarium Opii usum culpa fuisset derivanda. Gravissimum sane tum dixeris magnique momenti summi viri effatum, qui ipse experientiae sinistro successu quondam seductus, ad praemonendos alios, ingenue confitetur, quibus obnoxius fuerat, errores. Monet ille 29), Opium audacter adhibitum praeclarissimos exhibere quidem effectus, sed quam maxima diligentia observandos esse agendi modos, ne justo largius eo utaris. Hinc ille pergit: „Wie wirksam

29) Cel. Armstrong. I. c. p. 492.

es auch unter beständiger Handhabung seyn mag, so habe ich doch genug gesehen und gehört, um völlig überzeugt zu seyn, daß es eine sehr gefährliche Sache ist, es in zu reichlichen und häufigen Dosen zu geben, weil Apoplexie, Schlafsucht und Convulsionen dadurch herbeigeführt werden können“ — Scilicet neque hac in re deest, quoduci nonnunquam potueris, nutus naturae, momentis, veteres debilitatosque potatores, quam rariore ac robustos, Opio, et maturius et largius sustinendo esse pares, et in ipso morbi initio antequam singula animadverti licuerit vigentis illius signa, largas doses magis, quam serius, nocere. Attamen plerumque recta quantitatis determinatio mentis acumini diligenter observantis medici fuerit committenda. Praeterea temperare mihi non possum, quia submoneam, secundaria quadam pollere virtute, a Gel. Albers, M. D. Anglicisque medicis observata, quae in eo cernitur, quod Opii majores doses ciborum adpotentiam insigniter augeant. ³⁰⁾

Jam quaero, qua ratione vim illam salutarem in delirio tremente Opium exserat? Quae quae

30) Vid. Albers l. c. pag. 33.

stio a quibusdam quidem medicorum, ut ab Armstrongio illo, est facta, sed, quod equidem sciam, nondum soluta. Effectus ejus cum perpenderit hoc in morbo conspicuos, ut primis dosibus praebitis, pulsus concitetur, inquiet et sudor ³¹⁾ augeantur, serius autem hi omnes effectus immi- nuantur et in primis diuturnus accessatur saluta- risque somnus, intelligas, vim ejus primum cerni in excitando deinde in mitigando et placando nervorum systemate violenter excitato. Statui igitur licuerit, Opium hoc in morbo, sicut in aliis similibus malis, et omnino in or- ganismum humanum, narcotica virtute, sibi propria, vim suam exhibere. Melior autem, quam advehit, aegroti conditio non ipsi Opio, sed somno inde accessito, tribuenda videtur, dum medicatrix natura otium nanciscitur, nervorum systematis nimis auctas anomalasque activitates placandi ac moderandi, eaque ratione aequilibri- um ad reliquorum systematum conditionem resti- tuendi. Haud absimile est a vero, eandem vim salutarem exsertura fore proinde et alia remedia ad soporem illum inferendum idonea, dummodo

31) Rayero quidem auctore.

haud ita magnae virtutis alieni generis expertia fuerint. Praeterea constat, vel sine Opii beneficio, criticum illum somnum melioremque aegrotantis conditionem subito advectam animadverti, quorum prior tum, absque dubio, virium ex vehementi illarum intensione fractarum sensu arcessitur. Nonnunquam sensim etiam melior aegrotorum conditio advehebatur, natura tum lentius tardiusque id perficiente, quod somno arcessito celerius — Opium peragebat. Opium igitur somnum, somnus convalescentiam advehit.

Antequam ad aliud remedium commemorandum transeam, liceat mentionem facere quorundam exemplorum perinsignium Opii quantitatum fausto successu praebitarum, non quidem, tamquam tam audacem illius usum laudemus, sed potius commonstraturi, quantum valeat natura in damno resarciendo ab externa vi organismo humano illato. Guessontius in quibusdam aegrotis tractandis VII — VIII laudani drachmas consumpsit intra quatuor quinqueve dies. Cel. Canningius, IV alii aegroto intra postremas XXIV horas, extracti grana viginti propinavit, dosibus, quas ante praebuerat, non numeratis. Cel. Bidwellius,

M. D. XXXI horarum spatio tincturae opii CCCVIII guttas, cum opii deputati grana XII praebuit; et alius medicus 32) circiter intra dies quinque, opii deputati grana XXXXVIII. Similiter Cel. Stieglitz, archiater, cuidam aegroti in postremis XXII horis opii deputati grana XXIII subministravit.

E m e t i c a, 33)

§. 18.

Emeticorum, a Suttonio et Armstrongio omnino non commemoratorum, tum seriori Opii connubio, tum solitarie adhibitorum saluberrimus usus compluribus medicis est probatus. Non solum Cel. Albers, M. D. adhiberi ea iussit faustissimo successu, sed Cel. Klappius etiam, M. D. Philadelphiensis adserit idem. Et Cel. Eberle, M. D. pariter Philadelphiensis, adeo horis XXIII elapsis, solo emeticorum usu ad sanam mentem reverti vidit aegrotos. Praebere is pro morbi vehementia, hora VIIa, VIIIa s. Xma quaque hora largum praebet vomitorium. Idem confirmat Cel.

32) Vid. Albers. l. c. p. 33

33) Vid. ibid. p. 14.

Heinecken ³⁴⁾, M. D. Bremensis monet haec: „die Erfahrung hat hieselbst gelehrt, daß in einigen Fällen Brechmittel die ganze Heilung vollendet, und in wiederholten Anfällen bei einzelnen Individuen immer den vor Augen habenden Zweck erfüllen.“

De vomitoriorum genere deligendo ulterio-
rique conditione ejus definienda et quando maxi-
me profuerit hoc remedium, nihil praeterea me-
moriae prodiderunt illi viri. Id quidem certum
est, emetica etiam variis obnoxia fore contrain-
dicationibus, quales sunt: congestiones in cere-
brum, quae omnino sanguinis missione essent re-
movendae; nimium fractae vires, in quibus
omnino non fuerint indicata. Quae autem in
delirio tremente proinde atque in similibus cere-
bri morbis, insigni activitatis morbose auctae
translatione in systema gangliorum sanationem ar-
cessere, extra omnem dubitationis aleam positum
esse videtur.

34) v. Hufeland. Ephem. 1822. Mens. April.

Frigidae superfusiones.

§. 19.

Has in remediis ad delirium tremens Cel. Armstrongius *) primus commendavit, magna laude ab ipso celebratas. Innuerat frigidorum superfusionum commoda Ramsayus, M. D. nescio quis, quibus sua ipsius experientia comprobatis, Greysoni, M. D. cujusdam testimonium ille adfert, fidem faciens illarum salubritati. Cel. Armstrongius, salsa aqua qui utitur, in quolibet aegrotorum repetebat pluries hasce superfusiones (licet quoties numero non definiat!). Jam prima superfusione facta saepe flexiliores evaserant aegroti, delirio atque irritatione universali insigniter imminutis, cutis pulsusque conditione correcta, ita, ut saepius non nisi exiguo Opii praesidio ad perficiendam curam medicam opus esset. At memorabile sane est, Cel. Armstrongium perhibere memorare, se hac medendi methodo, contra quam meritissimus ille Currius (Currie) experientia edoctus erat, vel tñm semper cum fructu usum esse,

cum sudoribus cutis obiecta et superficiei temperies irregularis esset (h. e. calore leviorique frigore alternis). — Cel. Armstrongius ne sibi temperat quidem, quin Currium vituperet, eumque observationum non nisi circa alteram rerum conditionem factarum, neglecta altera, accuset. Scilicet aut horum, aut illorum fide omnino digna esse possunt observata. Attamen illorum experta, ad infringenda ea, quae Cel. ille Currius alique commemorant, haud sat magni nobis videntur esse momenti. Facile quoque intellexeris, Armstrongium ipsum observatis suis (et sudore madentes et calore volatili obnoxios superfundi frigida aqua licere!) haud ita magnam fidem tribuere, ut ex cuius ipsius verbis summa elucet cautio, qua ductus tum adhibendum suadet id remedium. Fatetur idem, se non solum proxime ante et post superfundendos aegrotos, calefactum vinum aqua temperatum his praebere, sed cutem etiam satis desiccandam laneisque panniculis obfricandam curare. — At frigida huiusmodi balnea non commendat, nisi juvenibus, robustis et qui vivacioris sint naturae, nec nisi in prima morbi periodo. Quotiescunque suspecta visa fuerit rerum condi-

tio, tepidas commendat obfusiones. Epithemata frigida capiti admota in delirio tremente eadem conducebant, 36)

Vesicatoriorum vis nocens.

§. 20.

Remedii hujus ceteroquin ea, qua par est, providentia in aliis similibus morbis, adhibiti, eo quod derivandi insigni vi polleat, quam maxime commendabilis nocens vis agnita est. fere ab omnibus. Vesicatoria enim hoc in morbo universalem nervorum irritationem et inquietem augere, insomniam aegrotis inferre, eorumque vires exhaustas perhibentur. Id quidem persuasum habent plurimi medicorum, qui de delirio tremente disserere, ut Pearson, Sutton 37), Armstrong 38), Rayer, quorum sententiam et Cel. Heinecken, M. D. 39) confirmat. Sed Cel. Al-

36) Vid. Gal. Albers Prooem. p. 39 et Armstrong. l. I. p. 499 in nota marginali.

37) l. c. p. 66.

38) l. c. p. 493.

39) Vid. Hufeland. Ephem. Aug. 1822. Mens. April.

bars 40) et Gel, Olbers, M. D. D. audi, hoc in morbo, cum fructu ea adhibuisse sibi videntur, Serioris quidem experientiae erit, usus eorum fidem aut augere, aut imminuere; at medicorum illorum praemonitiones ad magnam in eis adhibendis providentiam quemque non possunt non adducere.

§. 21.

Psychica delirio tremente laborantis tractatio pariter commendanda est medico, cui morum aegrotantis violentia ad vim fructu inferendam adduci non licet. Austeritate, severitate perpetuaque contradictione inquietas, furor et insomnia non possunt non augeri. Maximum autem vincula damnum inferunt aegrotis, motibus eorum impeditis, unde virium intensio maximopere excitatur tantoque vehementius viget renisus. Placide contra persuadendo, indulgendo, quotiescumque indulgere licuerit, comentiendo ad monstruosas eorum phantasias omninoque comiter atque humane agendo facilius placabuntur ac mitigabun-

tur, ad considerantiam quodammodo reversuri. Anglorum medici non liberos tantum ambulare in conclavi sinunt aegrotos, sed veniam eis etiam concedunt sub dio versandi, vires suas excercendi, ad lassitudinem usque ambulandi, qua musculorum intensione veluti perficiunt suos labores, lassitudinem sentiunt, et licet somno non statim obruantur, magis tamen ad tranquillitatem et quietem accedunt. Nonnulla tamen, qualia Cel. Armstrongius enumerat, docent exempla, post alacrem vividamque ambulationem mox etiam salutarem somnum, tanquam crisin morbi subsequi, sanitate ipsa accelerante. Quem procedendi modum multum omnino conducere, Cel. Albers et Cel. Heinecken testantur, quem jam eo commendabilem dicere possis, quod, ejus beneficio, de horrendarum imaginum atque idearum misero ipsorum animo obversantium erroribus facilius persuadeantur. Hinc recte haec monet Cel. Albers 41): „Ueber keine Kranken kann der Arzt mehr Gewalt üben, als über diese, und es gehört in der That zu den Ausnahmen, wenn ein Arzt

41) l. c. p. 42.

von solchen Kranken auf eine unanständige Art begegnet wird, welches er nicht selten seinem verkehrten Benehmen zu verdanken hat.“

§. 22.

Ad dietam hoc morbo laborantibus commendandam quod attinet, in universum parca ne esto, nec restricta. Jejunio saltem Gel. Armstrongio auctore ⁴²⁾, valde turbatur humorum circulatio. Hinc cibi digestu faciles ac nutritibiles conducere perhibentur, maxime nutrimentorum adpetentia non semper deficiente. Nec spirituosus potus subducantur aegrotis; et licet vinum, Anglorum medicis quibusdam iudicibus non aequiparandum Opio fuerit, tamen, ubi visum fuerit, aqua temperatum, quam plurimum bibentibus conducit aegrotis, maxime temulentis potando inveteratis, utpote qui hoc quidem incitamento atque hortamine sibi necessario omnino carere nequeunt. Temporariis e contrario potatoribus cerevisiae quam vini, usus commendabilior esse existimatur. ⁴³⁾

42) l. c. p. 50f.

43) Vid. Armstrong. l. c. p. 494.

Convalescentibus, praeter Opium usum secundarium a Suttonio commendatum, eccoprotica et circa tractum intestinorum toxica stuantur remedia.

§. 23.

De delirii tremantis complicationibus passim obviis non nisi paucula monere nobis quidem licet, parum fontibus, unde haurire licuisset, nobis patentibus. Quarundam, jam de antiphlogistica et incitativa curandi methodo disserentes, mentionem fecimus. In universum tantummodo statuere possis, eam morbi formam primum esse tollendam, qua vitae magis periculum immineat, ut apoplexiam, paralytin (Cels. Suttonius quidem hemiplegiam cum delirio tremente conjunctam, praevia apoplexia, sanasse sese existimat, quae vero medendi methodus digna, quam imitere, non videtur, quamdiu id exemplum solitarium habeas!) vel ubi morbi forma omnino vetet Opium usum, quales sunt congestiones, status inflammatorius, status gastricus etc. — Saepe quidem Opium cum remediis ad morbum in consortio versantem rite fuerit jungendum, saepe etiam ad morbum

comitem indicant, ut ad febrem nervosam, cum
 erethismo, delirio trementi adsociatam. Id qui-
 dem in tractandis ejusmodi complicationibus fue-
 rit perpendendum, quod Gcl. Armstrong, de mor-
 bis consuetudinarios infestantibus potatores in
 universum disputans, submonet: „44) Es sind
 mir wenig Beispiele von Typhus bei anerkannt-
 en Säufern vorgekommen, aber in diesen weni-
 gen verging die zu Ausleerungen schickliche Pe-
 riode schnell, und das, was man nervöse Sympto-
 me nennt, erschien viel früher als gewöhnlich;
 ich habe bemerkt, daß, wenn solche Personen
 auch von Entzündung befallen werden, das Sta-
 dium der Erregung schnell dem der allgemeinen
 Erschlaffung wich.“

Experientia quod compertum habemus, om-
 nes potatorum temulentia debilitatorum morbos,
 cujuscunque indolis fuerint, celerius, quam so-
 briorum, Astheniae speciem induere, valere idem
 et in complicatos cum delirio tremente morbos
 videtur, dum sicuti solent, inveteratos atque

44) Armstrong. l. c. p. 503.

Morbi exemplum.

Jacobus Abramov, annos XXXXV natus, caupo
Fellinensis ex triennio, proceri satisque robusti
habitus, praeterquam quod ante annos triginta
febre intermittente, et pedis fractura ante sexen-
nium, laborasset, fere omnino non habebat, quod
de turbata valetudine quereretur. Spirituosorum
potuum ante haec amans, istis, adverso casu quem
autumno anni MDCCCXXI subierat coactus, ex eo-
dem tempore tum se ipso, tum aliis quibusdam
testibus, omnino abstinuisse fertur. Tum enim

ad obeundum quoddam negotium e somno excitatus, manibus labiisque tremantibus subito humi prolapsus in cellam fortuito ante patefactam tuerat. Triduo mentis non compos quum decubisset, aliquot hebdomades, donec convaleretur, immolari lecto erat coactus. Praeterquam quod in occipite tumor exortus esset et medicus ulteriore vini adusti usu ei interdixisset, nihil amplius erat explorandum. Deinde bene valere perrexit.

Die VIII Aprilis Anni MDCCXXII Dorpatum iter suscipiendum ei erat, urgentibus negotiis. Aliquot diebus ante persentiscebatur quidem valetudinem paululum incommodam, in ipso autem itinere multo incommodiorem, omni ciborum appetentia destitutus, cum amari in ore saporis sensu, frequentique vomitu. Noctu postquam in frigido loco dormierat, mane experrectus cervicis sensit rigorem capitisque gravedinem et hebetudinem cum peculiari quodam angoris sensu.

D. X April. matutino tempore cum advenisset,

secundum mentionem haud satis clare factam, ter vicibus continuis humi prolapsus, spasmis, quales sunt epilepticorum, infestatus, perturbatae mentis vestigia exhibuisse dicitur, ita, ut vel notissimas sibi et res, et personas dignoscere non posset. Universalis ista mala valetudo continuabat, sollicitudine animique angore vexantibus aegrotantem. In obdormiscendo cernere sibi videbatur formarum monstra, homines, saltationes, — audire musices sonos aliusque generis strepitus, ita, ut statim somno excitatus insomnis manere cogeretur. Valde tremens, sudore obiectus ac delassatus sequente die in aedibus amici cum advenisset, valetudinis injuria ibi manere est coactus, donec vesperi nosocomii Acad. Caes. Dorpatensis medicorum academicorum curae traderetur.

Perpetua sollicitudine atque excitatione conspicuus erat universus aegroti habitus. Virens vultus, sibi non constans, circumvagabatur de re alia ad aliam, non torvus quidem, magis diffidentiae speciem prae se ferens, lacry-

mante oculo, tunica conjunctiva aliquantulum
 rubente, magis tamen quasi sordium colore tinç-
 ta. Feroces praecipitesque artuum motus erant;
 tremor maxime in superis extremitatibus satis
 insignis, flexorum in regione carpi contractio,
 unda pulsus conditio aegre erat examinanda;
 — at acceleratus ille dici poterat (ictuum fere
 centum per sexagesimas unius horae particulae
 intervallum) parvus, saepe varians nec sibi con-
 stans. Frigidula corporis, in primis manuum,
 temperies cum largo maxime capitis, sudore.
 Maedebat lingua, aliquantulo pituitae obteçta;
 nutrimentorum adpetentia omnino deerat ex com-
 pluribus diebus. Postrema alvi dejectio pridie
 facta fuerat.

Enarrabat aeger sermonis aliqua prolixitate
 prioris vitae suae momenta, at non sine obli-
 vionis nominumque permutatorum suspicione;
 saepius pronunciato timore, ne sua, jamjam ab-
 sentis, nimis negligenter domestica negotia etc.
 Quae quidem phaenomena, cum supra jam

commemoratis, tanquam prodromis, conjuncta omnino conveniunt cum iis, quae in morbo isto animadvertuntur, cui delirii tremantis nomen indidit Cel. Suttonius.

Ad occasionalem morbi, quo laborabat Noster, causam quod attinet, impetum inebriatio proxime non antecesserat, et si testibus habenda fides fuerit, diu ante abstinuerat a potandis spirituosis humoribus, id quod sum eodem, quod §. 9. comemoratum est, omnino consentit. Forte et animi sollicitudines itinere rebusque tum gerendis advectae, sicut ipsius itineris incommoda vivendique mutata ratio erumpendum malum adjuvare poterant.

Quum morbi istius tractandi methodus, qua uti Cel. Suttonio visum erat, tam insigni, et faustiori quidem, quam prior ista antiphlogistica, gauderet successu, adeo, ut in viginti duobus aegrotis, ipsius methodo tractatis, non nisi quater, et in viginti sex aegris, Armstrongii curae commissis, similique modo tractatis, per tan-

tum male medicatio succederet, methodo prioris simili, nostro in aegroto curando uti statutum ac decretum est. Hinc statim hoc praebitum est evacuatorium:

R. Tartar. emetic. Gr. j.

Natr. sulphur. ℥vj.

Extr. trifol. fibr. ℥ij.

solve in

Aq. Menth. ℥vjj.

S. Omni bihorio cochl. unum. adsum.

quod et vesperi jamjam, sicut sub auroram, vim suam exseruit.

Sequente nocte, ipso teste, placidus somnus erat, nec visionibus istis turbatus. D. XII. Aprilis multo melius sese valeere adseruit aeger. Interea continuabant priora symptomata, nisi quod madida et aliquantulum obiecta lingua munda facta jam esset, ciborum adsumendorum adpertentia sitisque valde aucta fuissent obortae. Jam Opii puri grano uno, cum saccharo oleoso, ipsi praebito jusculum concoctu facile ac nutritibile, cum parco vini usu, porrectum. Post meridiem

cubitu surrexit aeger, de fenestrarum alia ad aliam inquietus accedens, semper aliquid novi sibi cernere sibi videbatur, et plerumque quidem res adspectu ipsum delectantes. Saepe videbat militares homines inusitatae formae novaeque cultus comico eodemque vario positu coram ipso sese moventes; audiebat cantus, comitatos canum ululatu, murmurantes propinquas aquas; videbat ranas, cancos aliasque monstruosas formas, quas detergere de vestibulis suis studebat. At quaestionibus tamen ipsi propositis recte respondenti corporisque incommodis vexari sese neganti plurimum observabantur sua negotia domestica, ad quae obeunda saepe domum erat rediturus.

Noctem ante d. XIII. April. inquietudine consumserat perpetua, lecto culcitisque circumvolutis manuque deterisis, ad fugandas, quae insidere ei videbantur, multas bestiolas. Deinde magis incaluit delirium. In carcere se detineri opinatus, inter alia evadendi pericula facta, fe-

fenestras adsiluit; ferociter undequaque grassatus sua laceravit vestimenta etc. Deinde furto ablatas sibi esse qualescunque res persuasus, fures persecuturus erat, quod quo minus perficeret impeditus, verberabat adversantes, ita, ut consultum putaretur, manufortem ac strenuum hominem comitem ei associare, nulla tamen vi ipsi illata. Violenter deinde domum redeundi veniam postero mane posceps, ad negotium, quod ei in primis cordi fuisse videbatur, perficiendum — illa ipsi denegata, vi multa quidem, ad finem suum consequendum, est usus, sed, quantumvis difficulter, magnoque labore, humanis admonitionibus aliquamdiu defecti sese passus est a suo consilio. Ad quaestiones ipsi propositas, nisi par erat, respondit et enarravit satis copiose prioris vitae suae momenta, saepe tamen semet ipsum interpellans, ut discedens evaderet; aut ad fenestram aperiendam, familiares, se quidem opinante, in platea praetereuntes allocuturus, vel in subsidium sibi advocaturus. Semper

lubens adsumebat medicamenta; admodum acceleratus pulsus erat, (ictuum cxx, intra horae unius particulæ sexagesimæ momentum) exilis, at tactu aegre percipiendus, tremore superiorum extremitatum et subsultu tendinum carpi insigniter auctis. Profusus, in primis faciei, sudor continuabat, superficie corporis maxime manuum adhuc frigente.

Opii gr. j horis alternis præbendum erat, præter epithemata frigida capiti diligenter desiccato applicanda.

Sub vesperam inquietas et delirium summum conscendisse vestigium videbatur. Sine intermissione loquebatur cum vehementia, at obscuriuscule ac perplexe, res circumcirca omnes devastaturus. Omni illa virium suarum intensione id agere videbatur, ut libertatem recuperaret, hinc descendere conabatur per fenestras; ubique non sine periculo scandit in altum, pariete manibus pedibusque verberato, eo quod observatae ibi januas esse suspicaretur. Sensim ex-

haustus viribus cum esset, in statum soporosum incidere videbatur, vi musculari evidenter labante, incessu vacillante, lingua magis balbuerente; pupilla sursum versa dum palpebra superior delaberetur. In vultu major jam quam unquam, hebetudinis species veluti depicta, maxilla inferiori sicut ad mandendum motitata; denique vehemens dentium stridor, torpor insignis. — Ita delassatus sub decimam horam erat, ut libenter collocari se in cubili siniret. Pulsus per artuum tremorem tendinumque subsultum, ante vix tactu percipiendus, hoc quidem cessante, satis sensibilis evaserat, insigniter sublatus rariorque factus (ictuum x c per minuti-
oris horae particulae intervallum); frigidae extremitates, sudor, lingua qualis ante fuerat; lotium sua sponte mittebat aeger.

Opii grana VIII. praebita ei fuerant; dosi postremae Camphorae granis III. subadditis. Praeterea capite dorsoque calido aceto lotis somnus criticus mox adpetere cum videretur, ac ve-

tendum esset, ne apoplexia adveheretur, noctu maneque Opii dosis ad granum unum restricta.

Quae quidem quies haud diu duravit. Mox cubitu erectus saeviebat, sicut antea, per totam noctem. Interea dejectio alvi erat subsecuta. Sub lucem d. XIV. April. magis tranquillus evaserat, commederat, deinde, Opii granis xiv in universum adsumptis (circa horam septimam et dimidiam) in altum somnum delapsus et rarissime spirans e profundo. Cesserat tremor. Praeter labiorum manuumque exiles motus palpitationes nullae; facies paululum inflata, pulsus liberior, mollis, mediocriter insignis, ictuum xc in sexagesimo unius horae momento. Horis tribus elapsis experrectus vestibus se induit, domum rediturus, cum bene se valere sibi persuasisset. Dicto tamen obediens cubitum ibat. Jam Opii granum unum cum Camphorae tribus omni bihorio porrigebantur assumenda. Meridie ciborum adpetentia instructus comedit; post meridiem deinde plerumque somno sopitus, uni-

verso corpore aequabilis caloris beneficio moderate transpirante. Pulsus magis magisque expeditus et tranquillus (ictuum LXX sexagesimo quoque unius horae momento).

Vespere experrectus e somno, ex diebus proxime praeteritis immemor ullius rei, nec, quo pacto huc venerit, recordari ei licebat. Sani erant sermones ejus, solummodo de artuum gravitate et corporis lassitudine quaerentes. Tremor fere omnino evanuerat et inquietus, pupilla aliquantulum contracta, disparuerant sudores.

Quatuor Opii dosibus (ad gr. j.) acceptis, quietus per noctem somnus erat, nec nisi mane d. XV. April. cum alimentis quibusdam, tum pulvere adsumtis, brevi tempore interceptus. — Experrectus bene se valere persentiscens nulli omnino obnoxius erat dolori; disparuisse inquietus videbatur, nisi quod alienam quandam speciem oculus adhuc praeberet, pupilla pariter adhuc contractata. Ut Opii, quam tractui intestinorum inferre posset, injuria arceretur, praescripta haec est remedii evacuantis formula:

R. Natr. sulphuric. ℥j,
 Extr. trifol. fibr. ℥ij.
 solve in
 Aq. Ment. pip. ℥vj.

℞. Omni bihorio cochl. unum adsumend.

Somno iterato vesperi hujus diei omnino evanuisse videbantur morbi symptomata. Animi agilitas consentanea erat naturae; cessabant inquietas et tremor, pulsu obtemperante naturae legi; corpus non amplius obiectum sudore; in vultu nihil amplius alieni. Subsecuta etiam alvi ejectio erat. Noctu Opii dosis adhuc praebita.

D. XVI. Aprilis et habitus et vultus et animi functionum sese exserentium ratio innuere videbantur naturae moderatrici omnino consentaneam conditionem. Et tantum aberat, ut de ullis amplius quereretur incommodis Noster, ut omnino valere sese persentisceret. Pulsus sibi constabat, normalis, sicut ipsa corporis temperies. Sudores nulli. — Mixtura illa consumpta porrigebatur:

R. Extr. trifol. fibr. ℥ijj.
 solve in
 Aq. Ment. pip. ℥vj.

℞. Omni bihor. cochl. unum. adsum.

Interdiu somno et vigilia alternis, alvi dejectione vesperi est subsecuta. Noctu pulveris illius ex Opio et Camphora constantis dimidia dosi data quietus convalescentem complexus est somnus.

D. XVII. April. rite omnes succedere videbantur vitae functiones. Repetito amaro illo remediis, leviusculus manuum tremor earumque magis frigida temperies vesperi cum animadverteretur, Opium postrema vice praebitum, ita, ut in omnis morbi decursu, circiter intra dies octo, Opii grana xxii , Camphorae xxvii subministrata fuissent aegrotanti:

D. XVIII. April. nulla dum suspiciosa mutatione animadversa, voti dimissionis ex nosocomio compos factus est noster.

Qui d. XIX. Apr. iterum ibi comparens optime valuit, nisi quod levem manuum tremorem, qui permansurus esse videbatur, pulsusque modicam accelerationem animadverteri liceret. Ad roborandum Elix. vitriol. Mynsichti traditum est discedenti, ut guttas LX adsumeret quater per diem.

